Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 175
Quelle:
Copyright:

ab *Eucherio*, *Isidoro* &c. vel hisce Commentariis relati elaboravere.

II. *fol.* 133. sequitur prolixa Meditatio in Salutationem angelicam usque ad illa verba: *Sancta Maria Mater Dei* &c. quae in alio Codice hoc *Vol.* relato inscripta est *Speculum gloriose virginis Marie*, et *Bonaventuram* autorem habet, ut patet Edit. *Opp. Lugd.* 1668. T. VI. p. 428. f. Initium est: *Quoniam ut ayt Jeronimus nulli dubium est quin totum ad dei gloriam pertineat, quidquid digne genitrici eius impensum fuerit* &c. Extrema sunt: *Adiuua nos o dulcissima ut sine fine nobis concedat dulcedine sua frui ille liberalissimus communicator sui benedictus fructus ventris, qui est benedictus* &c. quibus accedit Index rerum alphabeticus.

Praetexta est Codici Membrana germ. qua *Frick Schellang Campidunensis* et *Mark Schellang Memminganus* Civis Fratres et Patroni (*Lebenherren*) Praebendae in Hospitali Memming. (*in der Siechstuben in dem Spital*) obligant *Job. Mosham* Capellanum ad pendendum censum annuum (*Houptzins vnd Vellzins, ain pfund haller.*) Data *an dem Mentag nach dem Sonntag als man Singet Oculi in der vasten. Nach Cristi gepurt vierzehenhundert Jar vnd In dem ain vnd drissigosten Jare.*

CXV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 299. f. per duas columnas luculente scriptus, rubricisque enotatus haec praefert in anteriore Theca: *Hunc librum testatus est Monasterio sancte dorothee* (Canon. Reg. Viennae) *dominus Nicolaus plebanus in Veteldarf* (nunc *Hüteldorf* pagus urbi vicinus) *in quo continetur expositio moralis Magistri nicolai de lira super prima parte veteris testamenti, scilicet a pentateuco vsque post iob et psalterium Dauidis incliti.* Igitur Prologus hoc initio: *Uidi in dextra sedentis super thronum* &c. Ait in eo celeber hic O. M. Scriptor versus finem: *Postquam autem sacram scripturam cum Dei adiutorio exposui secundum literalem sensum et Deus dedit michi spacium uite, confisus Dei auxilio propono eam iterum exponere secundum sensum misticum, vbi est mistice exponenda.* Utraque porro Expositio sub Typographiae primordia non semel impressa, conjuncta habetur in *Bibliis Glossatis*, v. g. *Lugduni* 1545. f. Nostra etiam *Moralitatum* titulo fertur. Ita ad calcem: *Explicit prima pars Moralitatum Magistri Nicolay de lyra anno domini M° C°C°C° LXXXIII. feria sexta ante Dominicam Oculi mei semper.* Et paullo ante: R. 2290

Amen solamen sit sanctus spiritus Amen.

CXVI.